sunt et palaeographica ratio suadet ut *μόνος* in *μόλις* mutetur.

IV. ARISTOPHANES *Plut.* vs. 920.

Ut in sermone iudiciali Atticorum improbanda est locutio *προστάτην ἔχειν*, pro *νέμειν*, dum sequioribus tantum licet nos docere *ὅτι τῶν μετοίκων ἕκαστος προστάτην ἔχει κατὰ νόμον ἕνα τῶν πολιτῶν* (BEKK. A. G. p. 435, 2), sic in sermone figurato non audiendus est, qui utitur formula *προστάτην ἔχειν*: vitium illud tollatur ex ARISTOPH. *Plut.* vs. 920 legendo:

νὴ Δία, πόνηρον τἄρα προστάτην νέμει.

A. H. G. P. VAN DEN ES.

PLAUT. PSEUDUL. II. 4. 45.

Minimedum exhaustus Onomatologiae Plautinae fons quomodo arte sit recludendus, praeclaris quibusdam exemplis nuperrime ostendit Frid. Ritschelius. Quae ad Plauto dignam ille revocavit elegantiam et festivitatem, iis nominibus unum accedat, lenissima medicina instaurandum.

Pseudul. II. 4. 45. Charinum, omnes facili opera expedientem difficultates, omniumque, quae usui esse potuerant, providum et prodigum hisce laetabundus Pseudulus appellat:

Di immortales, non *Charinus* mi hic quidemst, set copia.

Perit loci lepos, nisi mecum restitueris:

Di immortales, non *Carinus* mi hic quidemst, set copia.

Fingit nimirum poëta a *carendo* vocabulum Latinum, nomini Graeco consimile, quod *copiae* opponat. Confirmat emendationem (cui post Friderici Ritschelii quem tulit assensum vix alio opus est fulcro), vel potius ab iis eam defendit, qui eundem iocum Plautinis, ut vulgo eduntur, verbis inesse contendant, dummodo pronuntiando significes, quod litera CH. Plauti aetate a Latinis omnino fuit aliena.

E. MEHLER.